

SEBASTIANVS MVRRHO COLMARIENSIS.



Sebastianus ille Colmariæ in Alsatia natus & educatus fuit. Is postea sese ad uarias Academias conferens, magnam (ut ea tempora ferebant) eruditio[n]ē nactus est. Factus est enim Philosophus, Orator, Poëta, & Mathematicus, præterea trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ utcunque peritus. Postea in patriā reuersus, primò presbyter, deinde canonicus electus fuit. Inter alia studia etiā Theologiam amplectebatur, in qua ille supremum dignitatis gradum doctoris adeptus est. Scripsit is de laudibus Germaniæ, & in Baptiste Mantuanī opera Commentarios, circa annum Domini 1494. Vixit autem longo tempore, atq[ue] renascentis Euangelij lucem uidit: Verūm in inueteratis opinionibus perseuerans, in disputationibus publicis primis authoribus plurimum ad finem uitæ usque reluctatus est. Trit.